

1340-1340- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Mediolanum Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capitulo generalis celebrati apud Mediolanum
 anno Domini · M° · CCC° · XL° .

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum secundum nostri ordinis instituta omnes in communi debeamus vivere et orare, omni distictione, qua possumus, imponimus prioribus provincialibus et conventionalibus ac vicariis eorumdem, quod circa sequelam communitatis in choro et in refectorio diligenter insistant nec ab illa se absentent nisi tantum in casibus, in quibus secundum constitutiones nostras foret cum fratribus aliis rationabiliter dispensandum, et ad illam omnes et singulos sine personarum acceptione compellant. Caveant insuper, ne dispensem cum aliquo vel ipsum licencient in premissis nisi ex causa legitima, que evidenter rationabilis debeat iudicari. Declaramus autem, quod ex eo quod sint lectores, nullam habeant libertatem a choro vel a refectorio remanendi, sed volumus, quod priores, pensatis eorum laboribus in continuacione lectionum, cum eis quandoque, non tamen assidue, sed raro dispensem. Omnem autem gratiam seu licenciam generalem datam sub quacunque forma verborum cuicunque persone per magistrum ordinis vel priores provinciales aut vicarios eorumdem, de absentando se a choro, de comedendo extra refectorium et fratres alios secum ad comedendum vocando, de accedendo ad monasteria sororum vel mittendo quoscunque fratres ad illa, et quod de sibi commissis non teneantur singulis annis suis superioribus reddere rationem, magister de diffinitorum consilio revocat et annullat et imponit prioribus provincialibus, ut tales et consimiles gracias de cetero non concedant.

Item. Cum in omnibus sextis fériis iejunare debeamus indispensabiliter, imponimus prioribus provincialibus et conventionalibus universis, ut dictum iejunium sexte ferie faciant ubique et ab omnibus diligencius observari, nec in hoc, excepta sola causa infirmitatis, cum aliquo dispensem. Priores autem provinciales debite puniant quoslibet presidentes, quos in huiusmodi iejunio invenerint irrationabiliter dispensasse.

Item. Cum apostatarum discursus et evagacio preter dampnacionem animarum suarum cedant in scandalum ordinis et ad reducendum eos ad deum, ubi et quando possumus, ex caritatis debito teneamur, mandamus et imponimus prioribus provincialibus et conventionalibus et eorumdem vicariis, ut apostatas quoslibet infra terminorum suorum limites evagantes, cuiuscunque provincie vel conventus existant, capiant vel capi faciant subdentes eos, prout eorum demerita requirent, ordinis discipline. Et super hoc dat singulis eorum reverendus magister ordinis licenciam generalem. Rogamus autem venerabilem patrem predictum, ut cum fratribus privatis graciis ordinis et officiis propter apostasiam vel condempnacionem ad carcerem non dispensem, nisi prehabito consilio prioris provincialis et diffinitorum capituli provincialis illius provincie, de qua fuerit frater, qui dispensacione huiusmodi indigebit.

Item. Cum discursus fratrum inutiles evagacionem mentis inducant, studium impedianc et plerumque dent occasionem delinquendi, imponimus districte presidentibus quibuslibet nostri ordinis, ut discursus fratrum extra suos conventus diligenter cohibeant, nullum extra terminos suarum provinciarum vel conventuum licencient, nisi ex causa rationabili, iudicio discretorum, nec ire permittant, nisi testimoniales litteras secum ferant. Circa fratres autem illos, qui in locis aliquibus deliquerunt, constitutiones ordinis inviolabiliter observent et faciant observari, ut videlicet ad loca, in quibus crimina commiserunt, ulterius non redeant, nisi merito religiose conversationis per diffinidores generalis vel provincialis capituli super eorum reversione fuerit iudicatum.

Item. Cum nota carere non possit, quod priores pecunias pro communitate donatas recipient et pertractent contra ordinaciones plurium capitulorum generalium et modum in ordine consuetum, interdicimus prioribus universis, ut pecunias huiusmodi per se ipsos nec recipient vel pertractent aut dispensem; sed omnia recipientur et dispensemur per manus illius vel illorum, qui consilio fratrum discretorum cuiuslibet conventus ad hoc fuerint deputati.

Item. Cum circa ejecuciones testamentorum multa pericula et scanda valeant imminere, quanta distictione possumus, inbibemus presidentibus universis, ne cuicunque fratri licenciam concedant acceptandi et deducendi ejecucionem testamentorum quarumcumque personarum, nisi tali de quo, prehabito consilio discretorum, probabiliter iudicent, quod ejecuciones huiusmodi prudenter sciat et possit deducere ad honorem ordinis et secundum intentionem testatoris ac de eisdem fideliter reddere rationem, ubi et quando fuerit opportunum.

Item. Ordinaciones factas in precedenti capitulo generali apud Claromontem celebrato de exhibendo reverenciam rectoribus ecclesiarum, de non assumendo occasionem litigandi, de duobus studiis phylosophie et theologie in qualibet provincia, cum suis circumstanciis renovamus et mandamus inviolabiliter observari¹. Et preter hoc imponimus prioribus provincialibus et eorum capitulis provincialibus, quod cuiilibet conventui provideant de lectore; et ubi forte non invenirentur fratres ydonei pro officio lectoratus, secundum numerum conventuum absolvantur priores, si qui sint ad hoc utiles et in lectoratus officio reponantur; nec idem simul lector et prior existat, nisi forsitan ad tempus modicum et ex causa necessaria et urgente.

Redeuentes quoque de generalibus studiis non elegantur nec confirmantur in priores, donec lectoratus officium exercuerint per tres annos. Lectores eciam capitulis cotidianis prioris intersint et in observanciis regularibus se

¹ Cf. supra pag. 252 l. 24 sqq.

prebeant exemplares. Mandamus autem prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, ut fratres omnes tam studentes quam alios compellant cum diligencia sequi scolas, contra non sequentes penas graves iuxta regionum exigenciam imponentes, et priores conventuales ac eorum vicarii penas illas faciant inviolabiliter observari. Tam lectores autem quam studentes, opinionibus et doctrinis variis et frivolis pretermisis, doctrine venerabilis doctoris sancti Thome studiose insistant. Si qui vero studentes ad generalia studia missi extra suas provincias inventi fuerint in moribus vel studio notabiliter deficientes, per priorem provinciale illius provincie, cuius studio deputati sunt, de consilio prioris et lectoris ad suas provincias remittantur.

Item. Cum fervor iuvenilis etatis pronam reddat adolescenciam ad malum, nisi ipsum cohibeat rigor et regula discipline et adolescens perverse morigeratus a via sua mala, cum senuerit, non recedat, unde graves turbaciones in ordine sequi possent, omnibus et singulis rectoribus ordinis imponimus et eorum super hoc conscientiam oneramus, ut si quos habeant iuvenes studentes vel non studentes, audaces, procaces, presumptuosos, rebelles, inquietos et vagos, superioribus obedienciam et senioribus reverenciam debitam non exhibentes aut in studio notabiliter negligentes, tales humiliare et eorum procacitatem et effrenacionem refrenare et cohibere ac defectus alios prefatos punire studeant per penas graves eisdem sine misericordia infligendas. Volumus eciam et mandamus, ut priores provinciales in suis capitulois provincialibus necnon in visitacionibus conventuum contra tales iuvenes insolentes penas convenientes secundum qualitatem culparum inveniant et ordinent, compellant eas inviolabiliter observari. Et ubi repererint inter tales conspiracionis vel colligacionis cuiuslibet ligamentum, sine mora colligaciones impietatis dissolvant et eos dispergant per conventus varios, absolutos a studiis, et penis aliis debitibus puniendos. Si qui vero senes seu fratres alii, cuiuscumque gradus vel condicionis existant, talibus iuvenibus indebitum favorem prebere aut illos ad huiusmodi temeritates animare vel eos in ipsis favere aut eorum puniciones impedire deprehensi fuerint, tanquam ordinis destructores penis consimilibus puniantur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: Theutonie, Ungarie et Grecie.

Et conventuales Pergamensem, Cremonensem, Modoeciensem, Alexandrinum, Savonensem, Albinganensem, Iporegiensem, Saluciarum.

Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus isto anno nullatenus assumantur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice et bono statu universalis ecclesie, quilibet sacerdos tres missas. Et volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro eodem.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Matheo cardinali episcopo Sabinensi² quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Gauselino episcopo Albanensi cardinali summo penitenciario quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis episcopis cardinalibus domino Hostiensi, domino Penestrine vicecancellario, domino Cortensi et domino Anibaldo quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis episcopis cardinalibus Ebredunensi, Petragoricensi, Heduensi, de Monte Favencio, Rutinensi, domino Gocio, domino de Puteo, domino Napoleone, domino Iacobo, Gayetano, dominis de ... de Mota, domino Iohanne de Columpna, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus domino Ebredunensi, domino Albo, domino Montis Olivii, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili domino domino archiepiscopo Tholosano quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino patriarcha Ierosolymitano³ et passaggio Terre sancte quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Iohanne de Vicecomitibus Mediolanensi, Novariensi, episcopo quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis patriarchis Aquilegionensi (!) et dominis archiepiscopis Panormitano nepote domini Mathei, Lugdunensi, Senonensi et dominis episcopis Legionensi, Bisaciensi⁴, Papiensi, Terdonensi, Astensi, Vercellensi, Yporiensi, Taurinensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino archiepiscopo Pisano⁵ quilibet sacerdos · i · missam.

Item pro venerabilibus patribus ac dominis dominis episcopis Cremonensi⁶, Adriensi, Albensi⁷, Vigintimiliensi, Saonensi, Laudensi, Aquensi, Senensi quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro venerabili patre ac domino domino episcopo Cumano quilibet sacerdos · i · missam.

² De fr. Matthaeo aliisque cardinalibus cf. supra pag. 255 l. 5 sqq. et EUBEL l.c. pag. 15. sqq.

³ De fr. Petro de Palude cf. ibid. l. 22.

⁴ Francisco de Bestagno (Berragno) O. Praed.; cf. EUBEL l.c. pag. 139.

⁵ Simone Saltarelli O. Praed.; ibid. pag. 420.

⁶ Hugolino de s. Marco O. Praed.; ibid. pag. 222.

⁷ Petro Arthaudi O. Praed.; ibid. pag. 79.

Item. Pro venerabilibus abbatibus Clarevallensi ordinis cisterciensis, sancti Ambrosii, sancti Vincentii, sancti Simpliciani, sancti Celsi, sancti Victoris de Garrosillo, sancti Dyonsii, domino preposito sancti Nazarii et toto capitulo, preposito sancti Laurencii, preposito de Sexio, preposito de Segarre, preposito s. Ambrosii, preposito s. Georgii quil. sac. · i · mis.

Item. Pro venerabilibus collegiis dominarum religiosarum monasterii maioris virginum de Supra Murum, de Vinea Veterum, de Bancate, sancti Augustini, sancti Petri martiris de Castagneto, sancti Dominici, sancte Agnetis de Vedano, sancte Marie Nove et sancti Luce, qui. sac. · i · mis.

Item. Pro serenissimo principe ac domino Philippo rege Francie et domina regina consorte sua ac bono statu regni sui quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro domino rege Anglie et domina regina consorte sua et liberis eorum, ac bono statu regni sui quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino rege Roberto, domina regina consorte sua et liberis eorum ac bono statu regni sui quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino rege Cypri et domina regina consorte sua, prole et bono statu regni sui quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustri domina domina Iohanna regina Francie et Navarre, relicta quondam domini Karoli regis Francie et Navarre et recommendatis per eam quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis regibus Navarre, Aragonie, Maioricarum, Ungarie, Boemie, Portugallie, Suecie, Norwegie, Scocie, reginis et liberis eorumdem, ac pro bono statu regnorum suorum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustrissimo principe domino dalfino Viennensi, domina dalfina consorte sua et bono statu terre sue quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro nobilibus principibus dominis Burbonie, Burgundie, Brittannie, et dominis comitibus Sabaudie, Barrensi, uxoribus et liberis, et domina de Castro Iuliani, domina Sybilla de Banneco relicta quondam Ademarii Pictaviensis, et domina Iohanna de Scarabociñ., et domino Braccino quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro nobili viro et domino domino Luchino de Vicecomitibus domino Mediolanensi et domina eius consorte quil. sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina domina de Aledo, matre domini Iohannis Cabillonie.

Item. Pro illustri domina domina Iohanna de Carlle, Iohanna filia eius, comitissa Bartensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro sororibus Maria de Gallomonte (!), Isabella de Valesio, Isabella de Atrabato, Maria de Britannia, Beatrice de Caioto, Eufemia de Nichiboñ. quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustrissimis principibus marchione Montis ferrati, Iacobi de Sabaudia, principe Achaie, marchione Saluciarum, et sororibus eorumdem, pro domino Iohanne Emmanuelis quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro domino Francisco Burgongnon et domina Iohanna de Laya quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro domino Francisco Burgoñ. et domina N. consorte sua quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Guillelmo depastensi capellano domini pape et domino Petro de Morato, et pro Musla de Ungaria, de Armoroca, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratre Marcho cappellano domini pape et domino archiepiscopo Mediolanensi ac toto capitulo maioris ecclesie Mediolanensis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus, et fratribus minoribus, et pro omnibus, qui benefecerunt capitulo et pro omnibus, qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeentes, et pro hiis, qui habent literas de beneficiis ordinis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis Rodunco Martini, Degonna, Broncio de Cimonis, Anchresta, dominabus Coradina de Pusterula, Catherina uxore Castellani de Beccaria, et Iohanna de Strata, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro nobili domino domino Braccino, filio domini Bucani vicecomitis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Thomasio Relandino de Yardis, dominis de Conconerano, de Grassellis, Crassanno, Piccardolo de Garretis, dominabus Martina, Catherina de Guchtuaris, Exmalda de Ramuldo quilibet sacerdos · i · missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro dominis regibus Francie quondam patre Lodovico, Philippo et Carulo filiis eius, domino Karulo comite quondam Valezie et domina Clemencia quondam regina Francie et Navarre quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus principibus et dominis dominis Guillelmo Petri quondam Sabinensi⁸ episcopo cardinali quil. sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino quondam archiepiscopo Nichosiensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina Iohanna filia quondam regis Aragonie et patriarcha Alexandrie, et domino episcopo Claromonti, quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro domino Alphonso quondam comite Pictaviensi, domino Lodovico quondam domino Edunetañ., domina Matida quondam Altredañ. et aliis, pro quibus eleemosynas recepimus ad capitulum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina Maria de Barzeman matre reverendi patris magistri ordinis quilibet sacerdos · i · missam.

⁸ De fr. Guilelmo cf. supra pag. 212 l. 9.

Item. Pro domina Blanca uxore quondam Iohannis Emanuelis, pro domino Ademario Pictaviensi, domino Grazando filio quondam Azemarii Pictaviensis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus dominis Tubaldo quondam archiepiscopo Panormitano, Iohanne quondam episcopo de Casencino quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis Iacobo protonotario domini pape, Francisco de Ursinis, germano domini Mathei cardinalis, Rossello germano fratri Petri de Strozzis⁹ baccellario Parisiensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro nobili viro domino Azçone de vicecomitibus, domino Iohanne Pugano de Pusterula, domino Cubectolo de Serxa, Thoma de Asinariis, Olovero et Katerina de Rancis, Nicholao de sancto Iusto, quondam thesaurario regis Maioricarum quilibet sacerdos · iii · missas.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos · vii · psalmos cum letania et quilibet conversus · c · pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Instituimus et facimus priorem provinciale Grecie fratrem Raffum de Magdalena de provincia Lombardie superioris de conventu Ianuensi.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Theutonie fratrem Iohannem de duobus montibus, priorem Colonensem¹⁰, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in insula Sicilie fratrem Bertrandum. Riquerii de provincia Aragonie de conventu Molicensi lectorem conventus Maioricensis. Et volumus, quod fratres Martinus de Panormio et Iacobus Presso simul et coniunctim regant auctoritate nostra insulam prefatam, donec dictus frater Bertrandus presens extiterit in eadem; quo presente auctoritatē eorum volumus expirare. Item. Assignamus in vicarium magistri ordinis super fratres de societate peregrinancium ad gentes propter Christum¹¹ fratrem Iacobum de Fossano de conventu Ianuensi provincie Lombardie superioris.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Petrum de Karitate¹² de provincia Francie de conventu Parisiensi.

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Gerardum de Domario de provincia Tholosana, lectorem Tholosanum¹³.

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Bertrandum de sancto Michaele, de provincia Tholosana¹⁴.

Item. Assignamus lectorem in conventu Veneto fratrem Franciscum de Beluno de provincia Lombardie inferioris¹⁵.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bachalariis ac lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali studio viderit expedire.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Carcassonensi in provincia Tholosana, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum capituli intret ante · viam · feriam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione veniendi ad capitulum de conventu suo iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXVI.

⁹ De fr. Petro de Strozzis cf. supra pag. 258 l. 34.

¹⁰ De fr. Ioanne de Duobus Montibus cf. supra pag. 255 l. 8.

¹¹ De societate peregrinacium cf. supra pag. 232 l. 14 sqq.

¹² De fr. Petro de Caritate cf. supra pag. 259 l. 2.

¹³ De fr. Gerardo cf. ibid. 5.

¹⁴ De fr. Bertrando cf. DENIFLE l.c. pag. 500.

¹⁵ De fr. Francisco de Beluno cf. supra pag. 234 l. 25.